Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

bat. Non sencio tormenta tua que mihi inferes, quia dominus meus ihesus christus adiuvat credentem meum. Preses dixit: Ergo non sentis tormenta que pateris? Beatus mennas dixit: In veritate dico quia non sencio penitus tormenta tua, domino meo me adiuvante. Omnibus enim timentibus eum adest christus et corroborat quousque coronentur, prestans eis refrigerium inter tormenta, et refovens corpora et animas eorum. Tunc iussit preses afferri lampades ardentes et subponi corpori eius dicens: Vel sic forsitan duriciam eius flectam. Allato autem igne et supposito ei per duas fere horas nullum verbum ad presidem dixit, sed tantum clamabat ad dominum dicens: Christe deus adiuva me. Dixit ad eum preses: Non sentis ignem? Beatus mennas dixit: Dominus meus me confortat propter cuius nomen hec pacior, et ideo non timeo tormenta tua sicut scriptum est: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed pocius eum timete qui corpus et animam potest mittere in gehennam. Dicit ei preses: Homo militaris, unde nosti scripturas deificas? Beatus mennas dixit: Deus meus docuit me dicens: Cum ducti fueritis ad reges et presides, nolite precogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tunc iratissimus preses iussit ministris dicens: Cedite vultum eius. Beatus autem martir constantus omnia perdurabat. Tunc heliodorus curialis ait: Domine preses audi consilium meum. Quoniam genus christianorum preceptis principum obedire contempnit et libenter magis habet mori quam vivere, da illi sentenciam, sed et puniri eum iube et amplius noli laborare. Iterum autem preses dixit ad eum: Sacrifica diis, et dirigam te cum honore ad numerum tuum, et scribam de te bonum tribuno tuo. Beatus mennas dixit: Honor vester periturus est, ego autem studeo ut miliciam in celis accipiam sicut scriptum est. Vera autem milicia in celis est, ista autem corruptibilis non est accepta apud deum. Tunc pyrrus preses videns constanciam eius ita exorsus est: Mennam christianum militem, quoniam invictissimorum imperatorum preceptis obedire et inmortalibus diis sacrificare contempsit, ad exemplum servande discipline ceteris iubemus capitalem subire sentenciam. Tunc sanctus mennas gracias agebat domino ihesu christo quod advenisset tempus martirii ut coronam acciperet. Euntem autem eo cum gaudio omnis plebs sequebatur eum, admirans fortitudinem animi eius. Pro omnibus autem qui sequebantur eum orabat dicens: Adesto domine his servis tuis et ne deseras eos usque in finem, ut glorificent nomen tuum in secula seculorum. Accelerabat quippe gressum et extendens manus suas in celum dixit: Gracias ago tibi domine ihesu christe quia consolata est me virtus tua, confirma nunc domine quod operatus es in me. Et respiciens ad populum dixit: Fratres audite me et honorate dominum et timete eum ex toto corde vestro, quoniam maior est dominus timentibus se quam qui exeant de hoc seculo, et postquam exierint occurrunt eis angeli domini et deducunt eos ad civitatem sanctam ierusalem in qua regnant in perpetuum. Et dixit turbis: Cum decollatus fuero tollite corpus meum et camelo inponite et dimittite eum ita ut nullus precedat, et tunc videbitis graciam domini nostri ihesu christi, quia ipse deducet eum ad locum ubi dignatus fuerit velle requiescere servum suum. In loco autem in quo decubuit